DE INDURATIONE TELAE CELLULOSAE NEONATORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XXIV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENRICUS CUEPPERS
GUESTPHALO-MARCANUS.

OPPONENTIBUS:
TH. JELLINGHAUS, MED. ET CHIR. DR.
L. METTEGANG, MED. ET CHIR. CAND.
FR. MUESER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

FRATRIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

L. ET G. CUEPPERS,

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ars longa, vita brevis, — brevius quadriennium academicum. Quamvis latissime pateat in medicina experientiae campus, multique et varii in eo reperiantur loci, qui clariore luce adhuc egeant, atque accuratius disquirendo, lumini, quo collustrentur, recludi possint, raro tamen paucorum annorum spatio, iis, quae tot saeculis ab exploratoribus naturae reperta sunt, cum ipsa natura comparandis explendo, nanciscimur occasionem propriis observationibus locos aliquos scientiae nostrae obscuriores illustrandi. Itaque nemo vitio mihi vertet, quod, quum aliquid edendum esset, hisce pagellis rem multorum jam scriptis tentatam de-

nuo persequutus sim, neque tamen clariorem, quam qua antea collustrata fuerit, lucem ei attulerim; atque vix erit quisquam, qui, cur hanc ipsam e multis tractandam mihi elegerim, quaerere velit. Uti alia multa, sic haec quoque res plerumque casu regitur. Haud alium igitur adspiro honorem, quam ut haec dissertatio multarum in grege, quae legatur, non videatur indignissima, aequos judices, si quid minus apte expositum sit, veniam remissa fronte daturos esse confidens.

Caput I.

Quum symptomata scleroseos a variis scriptoribus haud congruenter descripta sint, imaginem a *Pieper* (1) expressam, ut omnium simplicissimam, et quae cum duobus, quae observare mihi contigit, hujus morbi exemplis maxime concinat, hic proponam ita, ut, quae ab ea discrepantia ab aliis allata sunt, sub finem hujus capitis paucis addam, atque diversitatis causas et rationes pro parte virili explanare studeam.

Si quis infans sclerosi corripitur, brevi post partum ut plurimum in suris prima magni frigoris vestigia apparent, succedente aliqua earum duritie; mox natibus quoque correptis, gradu tam celeri plerumque morbus procedit, ut, paucis horis praeterlapsis, regio

---

(1) Pieper, die Kinderpraxis im Findelhause und im Hospital für kranke Kinder in Paris. 1831. pag. 318 sq.

etiam pubis et dorsum, ac maxime regio scapularis eadem ratione commutata appareant. Simul cutis in partibus sclerosi affectis colore plerumque ex rubro-fusco, aliquantum flavescente tingitur; evenit etiam, ut mere flavus exoriatur color; quin et albissimus, etiam in iis, quorum totum corpus sclerosi correptum est, idem conspici fertur; tactu dura fit cutis, immo arida et rigida, ligni ad instar, ut, per magnam corporis partem porrecta sclerosi, quum fere omnis tollatur artuum flexibilitas, aegroti, tanquam ex lapidibus incisi essent, immobiles jaceant. Quo magis increscit atque extenditur cutis durities, eo magis totius corporis calor diminuitur; qui quum in neonatis sanis sit graduum 30—31 R., in scleroticis 23 — 24 tantum est, quin, late patente induratione, et appropinquante morte, 18 — 20, ut digitis tangens marmoreos vel jamjam emortuos esse crederes. Simul respiratio magis magisque in horas difficilis fit, ac vix elevari videmus thoracem; vox debilis, solito acrior; sanguinis circuitus parum procedens; pulsus non solum arteriarum, sed cordis etiam perceptu difficilis, segnis, vix centum ictus exhibens, quum alias in neonatis sit ictuum 130 — 140.

Rapido plerumque cursu haec omnia sym-

ptomata increscunt; cordis pulsus tandem prorsus evanescit; rigent oculi; os immobile, quum nil jam deglutiri possit, quidquid ingeritur, remittit; jacet miserrimus aeger, omni motu, calore, sensu carens, signum marmoreum, diris mortis angoribus cruciatum, donec certa mors finem tristissimae vitae imponit.

Raro sclerosis per totam cutem propagatur; collum, facies et brachia rarius, nec nisi latius patente morbo, atque serius quam reliquae partes, corripi solent (1); evenit etiam, ut solae manus vel crura afficiantur (2); palpebrae inferiori et apici nasi semper parcere solet morbus. De loco, quo sclerosis initium capere soleat, non omnes consentiunt; recte tamen *Baron* efferre videtur, eas primum partes corripi, quae longissime a corde remotae sint, ut pedes, suras, genas, labia. Colorem cutis itidem parum congruenter describunt; sunt, qui nunquam album esse velint, ut *Heyfelder* (3); sunt qui semper coeruleum et sub-

---

(1) *Pieper*, l. c. p. 319.

(2) *Billard*, Krankheiten der Neugebornen und Säuglinge. — Suspicari tamen licet, haec non ad sclerosin, sed ad oedema subcutaneum referenda esse; cf. cap. III. et IV.

(3) *Heyfelder*, Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen. 1825.

nigrum, ut *Paletta* (1); alii ex albo-flavescentem esse dicunt, ut *Schwarz* (2), alii ab initio flavescentem, progrediente vero morbo in purpureum ac denique in violaceum abire. Ne longus sim, qualis sit coloris commutatio, utrum per totum morbum perstet, an in varios tamquam modos abeat, qui denique modorum sit ordo atque series, quam maxime inter se scriptores dissentiunt; quod non miraberis reputans, tum quantopere causae, quae sclerosim procreare valent, aliis quoque morbis gravissimis, quorum magna ad colorem cutis immutandum vis est, ut erysipelati, ictero, procreandis idoneae sint, tum quantas ipsa sclerosi aliorum organorum perturbationes effici oporteat; de quibus infra, quum de causis dicam, uberius exponendum est; ac recte jam *Heyfelder* flavi coloris causam in ictero cum sclerosi conjuncto, qui eo fiat, quod impedita respiratione justo major ad hepar congeratur sanguinis moles, ponendam arbitratur.

A pluribus singularis quidem clamor, sibilo murino similis, tanquam signum pathognomonicum proponitur, quem unquam audiri

---

(1) *Gerson* et *Julius*, Journal für ausländische Heilkunde. Tom. VIII. Fasc. II.

(2) *Hufeland* et *Osann* Journal, 1826, mens. Aug.

negat *Pieper* (1); aegroti illi, quos observandi data mihi est occasio, talem vocem appropinquante morte edebant. Non dubito, quin ad pathognomonica hoc signum non referendum sit; quod ut existat, singulari glottidis commutatione, oedematosa scilicet infiltratione, opus videtur esse; quae, quum ad morbum necessario non pertineat, sed, licet ex ipso ortum trahens, fortuito tantum accedat, vocem quoque illam quum non semper tum non prius, quam morbus per aliquod tempus duraverit, audiri necesse est. At vero viro illi totum hujus morbi decursum in hospitio infantum inventorum Parisiensi observare non contigit; ut non mireris, in tanto aegrotorum, quos vidit, numero hoc signum nunquam ab eo observatum esse.

Apparet morbus ut plurimum primis post partum diebus; *Billard* semper primis diebus sex, priusquam color ruber cutis, neonatis proprius, disparuerit, eum apparere vidit; *Pieper* plerumque intra dies post partum octo; *Schwarz* ultra hebdomadem sextam non amplius observari dicit. Quae exempla ab *Hederich* (2) et a *Dürr* (3) afferuntur, quorum

(1) l. c. p. 319.
(2) *Choulant*, Zeitschrift für Natur- und Heilkunde, tom. V, fasc. 3.
(3) *Hufeland* Journal 1809, Mai.

alter in puella annorum sex, postquam morbo exanthematico defuncta erat, alter in puero annorum quinque, qui per glaciem lubrico motu lapsus perfrixerit, hunc morbum a se observatum affirmant, dubitari licet, utrum revera huc referenda sint.

Caput II.

Cadaverum sectiones varias tum cutis et telae cellulosae subcutaneae tum organorum internorum commutationes detexerunt. Ac primum quidem adipem subcutaneam plerique duram et granulosam invenerunt; *Liberali* (1) sectionibus septuaginta amplius telam cellulosam crassiorem factam deprehendit, et cortici arborum similem, pressam seri aliquantulum effundentem, totamque faciem tanquam pulvino adiposo substratam. *Paletta* (2) plerumque serum subfuscum, quin haud raro sanguinem (vel fluidum potius sanguini simillimum) sub cute in telam cellulosam effusum observavit; eadem tamen interdum ne guttam quidem seri vel lymphae exsudatae effudit. *El. a Siebold* (3) adipem partes sclerosi correptas ob-

(1) *Brera,* nuovi comment. di medic. e di chirurgia. 1818.

(2) *Omodei* annali univ. di medicina, vol. XXVIII, m. Octobr. et Novembr.

(3) *Siebold* Journ. tom. IV. fasc. 3.

sidentem granulosam factam serumque sanguine tinctum inter musculos prorumpere vidit. Neque tela, quae cuti subest, cellulosa, sed ipsa quoque cutis simili commutationi in hoc morbo videtur subjecta esse; *Pieper* (1) enim cutis duritiem, etiamsi, multifariam incisis partibus induratis, magna vis seri effluxerit, tamen immutatam manere asserit; quamquam, quod idem maculas, quibus compingitur cutis, inter se concrescere contendit, ab aliis non confirmatur.

Vix unquam accidit, ut praeter cutem telamque cellulosam ea, qua dixi, ratione degeneratam nullae aliae in partibus internis deprehendantur commutationes morbosae. *Heyfelder* semper foramen ovale, ductum arteriosum Botalli, ductum venosum Arantii vel prorsus aperta vel non plane clausa asserit a se reperta esse; nec minus *Breschet* (2) sectionibus infantum sclerosi mortuorum has sanguinis vias apertas, ac praeterea venam umbilicalem justo majore sanguinis copia repletam, pulmonesque in massam hepatis similem commutatas invenit. Quae tamen omnia tantum abest, ut in quavis sectione occurrant, ut *Bil-*

(1) l. c. p. 321.
(2) *V. Horn.* Archiv 1823 fasc. II.

lard (1) raro hoc fieri affirmet, et *Paletta* (2) diligentissimus naturae perscrutator, ne semel quidem in magno, quas fecerit, sectionum numero talia viarum sanguinis vitia sesė deprehendisse dicat. *El. a Siebold* sectione infantis sclerosi mortui vasa cerebri et abdominis sanguine justo magis impleta, hepar in massam pulti similem redactum, vesiculam felleam bile turgidam, ventriculum exiguum atque contractum, pulmonum denique partem posteriorem livido-rubram, sanguine venoso perfusam invenit; itidem *Paletta* vasa venosa majora pectoris et abdominis, ossa cranii, cerebrum et menynges sanguine perfusa, pulmones, imprimis sinistri lateris, non satis extensós, neque coeruleos, sed peculiari quodam modo violaceos vel rufos, aquae, si non omnes eorum partes, singulos tamen lobulos, non innatantes, solidos, compactos, digiti pressum tenentes, inter sectionem non crepitantes, atque omnino in massam carnosam, lienis vel hepatis similem commutatos vidit; praeterea cor rubro colore imbutum, quasi inflammatum fuisset, atque in abdomine fluidum quoddam albidum aut rufum effusum apparebat. Etiam

(1) l. c. p. 104.

(2) *Gerson* et *Jul.* Journ. tom. VIII. p. 117.

Leger (1) in omnibus infantibus sclerosi mortuis, quornm fecerit sectionem, pulmones duros, sanguine nigro repletos fuisse, atque aquae immissos fundum petiisse narrat; cor auctum apparuisse, et sanguinis venosi justo majorem continuisse copiam. Pulmones *Berends* (2) quoque eadem ratione commutatos reperit. *Billard* (3) in quarta fere parte infantum, qui sclerosi obierant, hepar induratum, in dimidia fere pulmones magis minusve degeneratos, nonnunquam ductum arteriosum Botalli apertum, saepenumero materiem serosam, semel tantum sanguinolentam in abdomen effusam fuisse narrat. Praeterea ligamenta arytaenoidea atque epiglottis nonnunquam sero infiltrata, indeque glottis coarctata, reperiuntur.

His igitur omnibus inter se comparatis, licet magnopere inter se discrepent, hoc tamen videtur commune esse, quod nimia sanguinis copia, maxime venosi, in aliqua quacunque parte corporis interiore congesta appa-

---

(1) *Leger* considérations sur l'endurcissement du tissu cellulaire. Paris 1829. Archives génér. de médécine, tom. VII.

(2) *Berends* Vorlesungen, herausg. v. *Sundelin*, tom. IX. p. 159.

(3) l. c. Cf. *Pieper* p. 320.

ret; qua non mirum est eas sanguinis vias, quibus, ne tota ejus moles ad pulmones perveniat, in foetu cohibetur, jamjam clausas interdum perrumpi, vel, quo minus eaedem prorsus claudantur, impediri, neque difficile est intellectu, qui fiat, ut vasis ita impletis fluida serosa vel sanguinolenta modo hic, modo illic exsudentur. Sed de his uberius infra dicendum est.

Leger (1) in centum infantibus tractum intestinalem sano pluribus pedibus breviorem se invenisse affirmat, miro quodam errore, quum ne uni quidem alii post eum tale quid deprehendere contigerit. Nec minus gastro-enteritidem, quam *Denis* (2) nunquam in sclerosi deesse voluit, saepissime non deprehendi, nec ullam ei affundere lucem demonstravit *Billard*; quocum consentit *Pieper*, qui in sectione, cui interfuerit, infantis hoc morbo defuncti, licet tractus intestinorum per totam longitudinem incisione apertus accuratissime disquireretur, tamen neque inflammationis, neque alius cujusquam morbi ullum in eo repertum esse vestigium

---

(1) Considér. path. sur l'endurc. du tissu cellulaire. Cf. *Billard* l. c. p. 107.

(2) *Denis*, recherches d'anat. et de physiol. path. sur plus. maladies des enf. nouveau nés 1826.

affirmat; ut, si quando adsit inflammatio, casu ad sclerosin accessisse, nec ullo causarum connexu cum ea cohaerere putanda sit. Sed quid pluribus refutem opinionem temerariam, risam inter nostrates, ac profecto ridendam magis, quam argumentis refellendam.

Praeterea fuerunt, qui sanguinis mixtionem singulari quodam modo commutatam atque alienatam reperisse sibi viderentur. *Chevreuil* (1), assentiente *Berends*, serum sanguinis atque fluidum, quod in tela cellulosa indurata contineatur, magna in concretionem abeundi proclivitate esse contendit. Ac revera *Billard* (2), hac de re experimenta faciens, materiem, quae ex partibus induratis, cultro incisis effluit vel exprimitur, sponte concrescere vidit; idem vero postea, quum serum infantum sive sanorum sive aliquo qualicunque morbo mortuorum exposuisset, eodem tempore, ac plerumque post horas sex, et illam materiem et hoc serum concrescere observavit. *Leger*, qui et ipse, quod serum ita concrescat, peculiare esse arbitratur sclerosi et ictero, et *Chevreuil* partem sanguinis serosam flavescente ut plurimum colore

(1) *Férussac*, archives génér. de médécine, 1824 Juin.
(2) l. c. p. 101.

tinctum esse volunt; indeque magnam argumentantur inter icterum et indurationem telae cellulosae intercedere affinitatem.

Caput III.

Reputanti, quantopere sclerosis a quovis alio morbo, quotquot sunt, tota discrepet specie, ut vix ullus reperiatur, quocum apte eo comparari possit, et quam variae sint partium internarum commutationes cadaverum sectionibus deprehensae, haud profecto mirum videbitur, scriptores in tot tamque discrepantes de natura scleroseos secessisse opiniones. Quarum ut facilius comprehendatur summa, ita eas persequar, ut primum eorum afferam sententias, qui morbi primariam sedem in cute telaque cellulosa subcutanea ponunt, ac deinceps eorum, qui sclerosin aliorum morborum effectum vel symptoma esse sumunt.

Qui primariam morbi sedem in cute quaesiverunt, partim chemicas et physicas ad dilucidandam ejus naturam adhibuerunt rationes, partim inflammationem quandam ei subesse putarunt, partim denique spasticum esse arbitrati sunt. — *Lefebure de Villebrune* vi quadam adstringente liquoris amnii fieri putavit, ut corporis superficies, dum foetus in corpore matris vitam degat, durior evadat;

cui opinioni, praeter quod rarissime statim post partum cutis indurata apparet, vel hoc obversari, quod vix unquam induratio per totum corpus patet, quis est, qui non videat? Maxima vero pars scriptorum in hanc abiit sententiam, vi frigoris vel adipem subcutaneam, quam jam *Hulme* duram et granulosam esse invenit, indurescere ac solidiorem fieri; vel debilitari nervos cutis, telaeque cellulosae turbari functionem, unde cohibito sanguinis circuitu, atque impedita carbonii secretione et caloris animalis procreatione, sanguinem ad partes internas congeri; vel denique cohiberi transpirationem, indeque obstructis folliculis cutaneis vasisque telae cellulosae absorbentibus, tandem concrescente lympha cellas hujus telae impleri. Miram *Pieper* (1) ex eo, quod morbus noster fere nusquam nisi in hospitiis infantum expositorum observatur, deduxit doctrinam; matres horum infantum miserrimorum, ut dedecus et ignominiam avertant, corpus constringendo celare graviditatem; hinc foetus in utero degentis comprimi cutem, atque, antequam hic ad lucem editus sit, debilitari jam ita, ut, nato infante, vix resistere possit viribus externis in eam irruentibus;

(1) l. l. p. 224 sqq.

eundem, donec opportuna ad exponendum venerit hora, neglectum, fortassis nudum ac linteo, ne vocem edere possit, ori inserto impedita respiratione, in occulto aliquo angulo jacere, tandem expositum tempestatis asperitate vexari; quibus omnibus injuriis repellendis quum impar sit corpus infantile, veraque cutis inflammatio propter vires paene exhaustas gigni non amplius possit, lympham tantum concrescibilem exsudari eaque cutis maculas cellasque telae cellulosae impleri. Reliqui, qui morbi naturam in inflammatione telae cellulosae ponunt, frigidam cutis rationem vita neonatorum parum vegeta arbitrantur oriri, genarum duritiem pro trismo habuerunt; quin *Schütz* totius indurationis causam in spasmo tonico telae cellulosae ponit. *Lodemann* (1) sclerosin, si non natura, specie tamen externa, phlegmatiae albae dolenti puerperarum simillimam habet; in utroque enim morbo non solum cutem animadverti duritie, tumore, frigore et colore cerei simili insignem, sed etiam clamore, quem edant infantes sclerosi affecti, veri fieri simillimum, magnis eos cruciari doloribus! Maxime vero omnium mirandum, quod *Baron* et *Billard* (2) morbum cum simplici

(1) *Hufeland* Journal 1810 m. oct.
(2) *V. Pieper* l. c. p. 323. — *Neumann* (Handbuch

oedemate confundunt, cutisque duritiem in magna ejus tensione positam arbitrantur; id quod satis refellitur eo, quod, teste *Paletta*, saepe ne singula quidem seri gutta e tela indurata exprimi potest.

Haud minor eorum est numerus, qui cutis telaeque cellulosae affectionem secundariam esse arbitrantur. *Henke* (1), assentientibus pluribus, turbatam hepatis functionem, qua fiat, ut sanguis hydrogenio et carbonio abundet et ad plasticas exsudationes, quas dicunt, proclivior fiat, accusavit; a qua sententia vix differt, quam proposuit *Berends* (2), turbata functione hepatis fellisque secretione cohibita in sanguine albumen carbonio abundans et ad concretionem admodum proclive procreari. *Wendt* (3) insignes gravissimorum organorum abdominis turbationes ac maxime sanguinem venosum admodum praeponderantem accusat. *Heyfelder* (4) sanguinis circulationem turbata respiratione impeditam

---

der medic. Klinik, tom. III, sect. II, p. 237) ita assentitur huic sententiae, ut nomen jam morbi vituperet; neque enim indurari telam cellulosam, sed tanta vi materiae serosae, non concrescentis, impleri, ut quam maxime cutem extendi necesse sit.

(1) Kinderkrankheiten tom. I. p. 200.
(2) l. c. p. 158.
(3) Handb. der Kinderkrankh. p. 104.
(4) l. c. p. 41.

ut causam proponit; unde tum sanguinem non satis commutari atque calorem animalem haud sufficientem gigni, tum, quoniam in recens natis sanguis facile eas vias, quibus in foetu circumagatur, rursus intret, ductum arteriosum Botalli, foramen ovale et ductum venosum Arantii sive aperta manere sive clausa rursus aperiri. Etiam *Breschet* organorum ad sanguinis circulationem pertinentium abnormitates, sed eas in imperfecta foetus evolutione positas, ac maxime quod ductus arter. Botalli non claudatur, morbi causam esse ducit; quae sententia quantum abhorreat a similitudine veri, non fugiet cogitantem, sclerosin quam saepissime in infantibus expositis, vix unquam in aliis occurrere. Similia opinatus est *Leger*, qui nomen »oedeme compacte« morbo indidit, respiratione sive fortuito sive vitio formationis impedita cohiberi sanguinis circulationem ejusdemque ita alienari mixtionem, ut serum flavo colore tinctum appareat et singularem in concretionem abeundi nanciscatur proclivitatem. *Paletta* (1) maturius, dum parum adhuc procedat respiratio, deligatum funiculum umbilicalem accusandum arbitratur; hinc stagnante sanguine oxygenii existere ino-

---

(1) *Gerson* et *Julius* Journ. l. c.

piam, calorem haud sufficientem gigni atque lympham sanguinis concrescere.

Hi igitur omnes venosam sanguinis conditionem ut causam morbi proponunt; eo tamen discrimine, ut alii hanc conditionem e turbata hepatis functione, alii ex impedita respiratione, sive quod pulmones sanguini commutando non pares sint, sive quod non satis magna ejus copia ad pulmones perveniat, originem ducere velint. Neque aliud *Hulme* videtur intellexisse, quum sclerosin symptoma pneumoniae esse dixit. Comparatis autem singulis opinionibus cum commutationibus partium internarum, quas ab his viris deprehensas supra exposuimus, vides ex iis quemque, quae cadaverum sectionibus invenisset, doctrinam de natura morbi petiisse. At vero ut hoc omittam, conjecturis illis causas atque indolem indurationis parum explanari, vel ex magna eorum, quae in interioribus corporis partibus sectione inventa sunt, diversitate liquet, internorum organorum commutationes, quamquam causarum quodam nexu cum sclerosi conjunctas, fortuito tantum accessisse. Itaque qualiscunque est singularis hic morbus, non videtur dubitandum esse, quin vera ejus sedes in cute quaerenda sit; cujus turbata prorsus functione, non aliter atque in combustionibus per magnam corporis partem

patentibus fieri videmus, sanguinis qualitatem magis magisque ad venosam accedere, eundemque ad vasa interna congeri necesse est. Atque, quemadmodum magna pars harum commutationum e sclerosi ortum trahit, ita veri haud est dissimile, iisdem causis, quae sclerosin procreant, simul pneumoniam, icterum, erysipelas procreari posse, turbatamque hepatis et pulmonum functionem saepenumero neque causam esse indurationis, neque ex ea ortum trahere, sed una cum ea existere; ut non sit mirandum, quum mutationes coloris cutis, tum totius morbi decursum tantas exhibere differentias.

Reliquum est, ut eorum percurram sententias, qui sclerosin non esse morbum sui generis statuunt; quorum alii speciem quandam (1) vel sequelam (2) erysipelatis esse voluerunt; *Chevreuil* et *Leger* (3) ictero cognatam esse arbitrati sunt; *Henke* sclerosi eundem, atque ictero et erysipelati, morbum subesse opinatur; qui quod speciem tam diversam exhibeat, noxarum externarum fortassis tribuendum esse differentiae. Secundum

---

(1) *Fischer* in *Hufeland.* Journal 1812 m. Jul. et Aug.
(2) *Hemmer* in *Harless* Rheinisch-Westphäl. Jahrb. für Medicin u. Chirurgie tom. VII, fasc. III.
(3) Qui tamen postea in aliam sententiam abiit (vide arch. génér. de médéc. tom. VIII), de qua suprà dictum est.

P. S. Denis inflammatione telae cellulosae, quae ipsa ortum trahat e gastro-enteritide, eoque facilius existat, quo magis haec tela in neonatis praevaleat, modo serum, modo adeps in ejus cellis congeritur. Quid quod fuerunt, qui aliquid dixisse sibi viderentur, si naturam morbi in statu sthenico aut asthenico positam esse efferrent (1).

Utrum induratio cutis ea, quae syphilide hereditaria oriri fertur, cum nostro morbo congruat, an prorsus ab ea natura sua differat, quum parum in hanc rem hucusque inquisitum sit, dijudicari non licet (2).

De causis praedisponentibus et occasionalibus, quae dicuntur, minus disceptatur, quam de causa proxima. Unquam adnatam esse sclerosin, quod *Neumann* interdum, *Feiler* (3) plerumque fieri arbitratur, licet nonnunquam eveniat, ut infantes vix nati jamjam duritiei vestigia exhibeant, recte tamen a *Pieper* videtur negari; quinam fieri posset, ut sclerosis nisi in hospitiis infantum inventorum fere nusquam occurrat?

---

(1) *Carminati* in Omodei annal. univ. 1823, tom. XXVIII, m. Dcbr.

(2) Cf. hac de re: *Kopp* Bem. veranlaſst durch eine Reise in Deutschl. und Frankr. Francfurt 1825; *a Siebold* Journ. für Geburtsk. Tom. VII, p. 118 sqq.; *Zimmermann* in *Julius* et *Gerson* Journ. Tom. V.

(3) Pädiatrik p. 143.

Teste *Pieper* plurima pars infantum, qui hoc morbo corripiuntur, infirma utitur corporis constitutione; *Billard* quum et ipse corporis debilitatem sclerosi procreandae favere, tum eos maxime ad hunc morbum proclives esse dicit, qui venoso sanguine abundent, et cute, antequam desquamata sit epidermis, sicca et arida utantur. Corporis infirmitatem imprimis accusandam esse, iis quoque comprobatur, quae a *Paletta* (1) et *Carminati* animadversa sunt, sclerosin infantes potissimum maturius editos et geminos aggredi.

Quod ad causas externas, fere omnes, praeter *Palettam*, qui funiculum umbilicalem justo maturius deligatum accusavit, de aëre frigido et nebuloso accusando consentiunt; morbus in hospitiis etiam infantum expositorum tempore aestivo raro observatur, instante vero tempore hiberno frequentior in dies existit. Neque minus raro apparet in iis, qui domi baptizantur, frequentius in iis, qui baptizandi causa in aedes sacras transportantur.

Caput IV.

Quum organon cutaneum in infantibus quam maximi ad vitam momenti sit, eoque majoris, quo minus aetate illi provecti sunt,

(1) In relatione altera ex infantibus scleroticis quadraginta tribus maturius editos fuisse narrat viginti novem, in altera e sexaginta duobus viginti duos.

sponte liquet, quam perniciosa functio ejus per longius tempus turbata atque suppressa neonatis esse debeat; scimus enim, in adultis, qui per magnam corporis partem aqua calida leviter etiam aduruntur, ut per plures dies cutis munere suo fungi non possit, quamquam in his organon cutaneum multo minoris momenti est, cito tamen gravia et perniciosa existere symptomata. Quare, qui sclerosi correpti sunt, paucis ut plurimum diebus, immo haud raro intra horas quadraginta quatuor morbo succumbunt. Ceterum de prognosi diverse statuunt. *Pieper* in hospitio infantum expositorum Parisiensi, quamquam, si exigua sint symptomata neque late pateat induratio, morbus per aliquot menses nonnunquam extendatur, nunquam tamen evenisse asserit, ut talis aegrotus morti eriperetur. Minus infaustam *Billard* affert rationem; verum, teste *Pieper* (1) iis, qui sclerosi obierint, non adnumerat, in quibus gravius aliquod organum internum degeneratum erat; quorum longe praevalet numerus. Accedit, quod *Billard*, opinione ante concepta commotus, multa huc retulisse credendus est, quae oedemati cutaneo adnumeranda fuissent. Omnium optime medicis Italicis, si quidem fidendum eorum auctoritati, res videtur cessisse; e quibus *Carminati* tertium quemque infantem a se sanatum, quin *Paletta* vix vicesimum quintum morte sibi ereptum esse affirmat.

---

(1) l. c. p. 320.

Caput V.

Quum tantae naturam indolemque morbi obvelent tenebrae, frustra quaerimus curam rationi innitentem; neque experientia praestitit, in quo aliquam collocare possemus fiduciam. Plurima pars medicorum, respecta aegrotantium debilitate et frigida aridaque cutis conditione, remedia commendant ea, quibus tum vires aegrotorum excitentur atque augeantur, tum cutis emolliatur et sudores moveantur; quae partim sunt externa, partim interna.

Externa quam maxime varia sunt. In hospitio infantum expositorum Parisiensi ante plures annos vaporationes adhiberi solebant; quod remedium, quamvis efficacissimum videatur, non solum, teste *Baron*, frictionibus pannisque laneis ipsi cuti admotis longe est efficacitate inferius, sed etiam, monente *Billard*, dum aegroti in balneis morantur, ita saepe respirationem accelerat, ut congestiones versus pulmones et cerebrum exoriantur vehementissimae ipsique vitae periculum minitantes. *Baron* infricanda aqua theriaca, pannisque laneis et sericis tenuioribus ad partes induratas admovendis sudorem ciere studet; arbitro *Pieper*, nullo unquam cum successu. *G. Marzari* frictiones manibus calefactis instituendas, vapores ex aqua tepida assurgentes, fomenta e decoctis herbarum emollientium et leniter excitantium, ut herbae meliloti, salviae, florum samb., parata, balnea denique ejusdem generis commendat, quae si non sufficiant, remedia nutrientia et leniter excitan-

tia per os atque clysmatibus ingerenda esse. Alii praeterea emplastra vesicantia ad partes tumidas atque induratas admoveri jubent (1).

Medicamina interna, una cum externis adhibenda, pleraque sudori movendo inserviunt. *Carminali*, praeter exiguas doses magnesiae, ad aciditatem, si qua adsit, compescendam guttas aliquot liquoris anodyni miner. Hoffm., aut liquor. cornu cervi dari jubet, *Carus* (2) liquorem Mindereri, liq. cornu cervi, spir. nitri dulcem, vinum antimon. et similia.

Sunt etiam, qui organa interna nimio sanguine impleta respicientes, sanguinem hirudinibus detrahi jubeant. *Paletta*, ut pulmonum oppletionem minueret, atque sic accelerata humorum circulatione sanguis venosus in arteriosum celerius commutaretur, tres plerumque hirudines ad crura applicavit; praeterea augendae caloris procreationi artus farina tepefacta, cum camphora, si res postulare videretur, mixta involvendos, emolliendaeque cuti balnea tepida atque fomenta aromatica admovenda curavit; qua cura ita rem cessisse, ut vix vicesimus quintus ipsi ereptus sit. Etiam *Capuron* (3), si sanguinis nimii versus caput aut pectus congesti appareant signa, ut sopor, anypnia, respiratio difficilis, hirudines, maxime pone aures applicandas, aliaque praeterea medicamina derivantia, ut emplastra vesicatoria, adhiberi jubet. Nec minus *Heyfelder* hirudines aliquoties bono cum

(1) *Carus* Gynaekologie tom. II, al.
(2) Gynaekologie tom. II.
(3) Abhandl. über die Krankh. der Kinder p. 260.

successu a se adhibitas esse asserit. *Billard* primum, ut minuatur plethora universalis, sanguinis detractiones instituendas, dein corpus aegroti fricandum eaque adhibenda esse medicamina censet, quae cutis respirationem restituere valeant. Contra *Dupuch-Laponte* (1), si quid ex experimentis in hospitio infantum inventorum, quod est in urbe Bourdeaux, institutis colligi liceat, sanguinis detractiones plus nocere quam prodesse arbitratur; aegrotorum enim, qui hirudinibus curati sint, plurimos obiisse.

Multi hydrargyriis usi sunt, partim quia morbum syphiliticae indolis esse opinabantur, partim eum in finem, ut materies in cute vel in tela cellulosa exsudatae resorberentur. Imprimis *Goelis* (2) pluribus praep. hydr., atque *Weinhold* (3) magna illa cura, quae ejus nomine insignita est, magno cum successu se usos esse affirmant. *Raermann* aegrotum unum, hydrargyro balneisque tepidis curatum, consanescere vidit. Etiam *Rau* (4), praeter quod balneis aromaticis actio cutis augenda sit, ad promovendam resorptionem hydr. mur. mit. (gr. $\frac{1}{4}$ — 1 pro die), atque ung. hydr. cinerei ʒj — ʒjj in partes induratas post balnea infricandas, adhiberi jubet, qua curandi ratione in nosoc. carit. Berol. plurimos consanuisse. Sunt tamen etiam, ut *Jaeger* et *Carminati*, qui hydrargyria nil valere dicant.

Heyfelder, ut qui morbum cyanosis spe-

---

(1) *Dupuch-Laponte* notice des travaux de la société royale de médéc. de Bourdeaux 1826.
(2) Salzb. medic. chir. Zeitung tom. IX.
(3) Ibid. tom. XIX.
(4) *Rau* Handbuch der Kinderkrankheiten pag. 130.

ciem esse arbitretur, remediis utitur oxygenium continentibus, imprimis aqua oxymuriatica. *Berends* pro indole morbi eligendam censet curandi rationem; qui si sthenica sit indole, sanguinis detractiones cum hydr. mur. miti, si asthenica, chinam, pulvillos herbis aromaticis confertos et camphoratos, lotiones vinosas, si denique gastrica, emetica vel purgantia adhibenda esse.

Itaque experientia omnium maxime commendantur sanguinis detractiones; quae tantum abest, ut iis, quae refert *Dupuch-Laponte*, plurimos hac cura periisse, suspectae reddantur, ut hoc etiam magis iis fidendum sit; balnea dein tepida et inunctiones hydrargyri; quibus, quum ut sanguis versus graviora organa congestus derivetur, tum ut impellenda secretione mucosae intestinorum damnum cutis torpore nascens quodammodo reficiatur, remedia leniter laxantia addam.

VITA.

Ego Henricus Cueppers, fidei addictus catholicae, natus sum a. d. X. m. Octobr. MDCCCX Iserlohniae, oppido comitatus Marchiae in Guestphalia, patre Nicolao Cueppers, mercatore, matre Francisca e gente Becker, quos matura morte tenero mihi puero abreptos lugeo. Ad tredecimum usque aetatis annum in urbe patria primis literarum, quibus aetas infantilis imbui solet, elementis instructus primum ex voluntate tutoris mercaturae addiscendae per tres annos operam dedi; quibus peractis, quum parum mihi arrisisset hoc aetatis degendae genus, ad literarum me studium contuli. Itaque per annum in patria urbe a Conrectore Stamm linguae Graecae et Latinae elementis imbutus, gymnasium, quod floret Susati Directore Patze, adii sub finem anni MDCCCXXVI. Per annos hic commoratus fere duos, testimonio maturitatis primo instructus, ad almam universitatem Rhenanam me contuli, ubi a. d. XXIV m. Octob. MDCCCVIII a Rectore magnifico t. t. Heffter in numerum civium academicorum receptus, datoque nomine apud decanum facultatis philosophicae t. t. Ill. Naecke, hasce virorum doctissimorum frequentavi praelectiones: Ill. van Calker de logice; Ill. Brandis de psychologia,

metaphysice et historia philosophiae; Ill. Heinrich de satiris Persii; Ill. Naecke de tragoediis Aeschyli et de Iliade Homeri; Ill. Welker de Pindaro atque de literis Romanis; Ill. Niebuhr de historia antiqua; Ill. A. W. a Schlegel de historia Romanorum; Ill. a Muenchow de physice experimentali atque de calculo differentiali et integrali.

Anno sic peracto uno et dimidio, academiam adii Marpurgensem, civiumque academicorum numero a Prorectore t. t. Ill. Gerling adscriptus, hasce per annum et dimidium adii scholas:

Ill. Suabedissen de rerum divinarum scientia rationali; Ill. Bünger de osteologia et anatomia tam generali quam speciali; de chemia experimentali Ill. Wurzer; de zoologia atque de physiologia Ill. Herold; de pharmacologia Cel. Robert. In arte cadavera rite secandi dux mihi fuit Ill. Buenger.

Autumno anni MDXXXII Universitatem Würzeburgensem petii, atque a Prorectore t. t. Ill. Seyffert in cives academicos receptus, hisce virorum doctissimorum interfui scholis: Cel. Narr de pathologia et therapia generali; Ill. Muenz de anatomia pathologica; Ill. Pickel de chemia pharmaceutica; Ill. Heller de botanice medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Textor de chirurgia, akiurgia atque de arte fascias applicandi, Ill. d'Outrepont de arte obstetricia, qui idem in exercitationibus obstetriciis, quae in phantomate instituuntur, moderator mihi fuit; Ill. Ruland de medicina forensi et politia medica. Ad clinicas exercitationes me instituerunt medicas Ill. Marcus, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Jaeger, obstetricias Ill. d'Outrepont. In faciendis operationibus akiurgicis moderatore usus sum Ill. Jaeger. Annis elapsis duobus, per semestre spatium valetudinis causa in urbe patria moratus sum; hinc vere anni MDCCCXXXIV ad universitatem literariam Berolinensem me contuli, atque a Rectore magn. t. t. Strauss inter cives academicos receptus et ab Ill. Busch, p. t. decano facultatis medicae in album hujus facultatis inscriptus exercitationibus clinicis adfui ducibus Ill. Bartels et Cel. Barez. Ut legi reipublicae satisfacerem, mense Octobri anni superioris munus medici et chirurgi inferioris suscepi duce medico legionario Doering.

Quibus omnibus viris clarissimis atque de me meritissimis maximas, quas possum, gratias habere nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina mihi concedantur honores.

THESES.

1. Uterus musculus.
2. Cartilagines non inflammantur.
3. Morbi molimina naturae noxas sive externas sive internas repellentis.
4. Sclerosis primaria sedes in cute.
5. Nulla actio chemica in corpore vivo.